



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CARACEN. RITUS ANTIOCHENI SYRORUM*** NOVUS EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS

ECCLESIAE ANTIOCHENAE SYRORUM IN VENETIOLA CONSTITUITUR Ecclesiales communitates, in orbe dissipatae terrarum, quamvis varias prae se ferant species formasve, in unum tamen conspirant et fidelium spiritalem prosperitatem universae persequuntur. Nos autem omnium Ecclesiarum tueri volumus legitimas religiosas consuetudines itemque contendimus et studemus, ut floridiorem statum per proprium ritum illae adipiscantur. Nunc de gente cogitamus ritus Antiocheni Syrorum in Venetiola deque eiusdem commodiore condicione. Itaque, postquam hac de re Beatissimum Ignatium Petrum Adbel-Ahad, Patriarcham Antiochenum Syrorum, cum Synodo Episcoporum eiusdem Ecclesiae, itemque Episcoporum Venetiolae Conferentiae Praesidem atque Legatum Pontificium cuius interest, necnon Venerabilem Fratrem Nostrum Ignatium Moussa S.R.E. Cardinalem Daoud, Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefectum, audivimus, iudicavimus opportunum in Natione quam supra diximus novum Exarchatum Apostolicum condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate novum Exarchatum Apostolicum pro fidelibus ritus Antiocheni Syrorum in Venetiola constituimus atque congruenter erigimus. Ad haec tandem perficienda consuetudines iuraque consentanea serventur et quae a Codice Orientali praecipuntur, nihil quibusvis rebus minime officientibus. *Datum Romae apud Sanctum Petrum, die altero et vicesimo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo primo, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IGNATIUS MOUSSA card. DAOUD <i>Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praef.</i>
---	--

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 11, pp. 740-741 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana